

bliotheario Magni Ducis Florentiae, homine divinae memoriae, acris iudicij & singularis vitae, retulit, quod de nostris Theologis, tam antiquis, quam recentioribus, ut & adhuc viventibus, satis candidum ediderit iudicium, atque inter alia etiam de magno nostro SCHMIDIO dixerit: Hunc virum per multos iam annos in nostra Ecclesia vnicum esse, qui Papatum posset destruere: dolendum vero esse, quod iam adeo gravis aetate sit; & se admodum aegre ferre, quod tanti viri Tractatus & Libri rarissime eo perferantur: sepe enim non nisi Comm. in Jobum & alium Tractatum (quinam vero ille sit, mihi non constat) nancisci potuisse: in Comm. illo tamen adhuc quaedam esse, quae percipere nondum satis posset, & de quibus lubentissime instrui vellet. Quod testimonium a Pontificio viro prolatum & eo pluris facendum, mihi sane prae gaudio movit praecordia.

EIVSDEM. *Hafniae. d. 16 Febr. 1689. Historia Ecclesiastica Daniae & Norvegiae*, a primis Christianismi incunabulis ad haec usque tempora perducenda, nuper a Rege Dn. MASIO clementissime est demandata. In *Historia Civili veterum Danorum alias desudat THOMAS BARTHOLINVS*, cuius tractatus quidam eo spectans sub prelo est, ubi & multa habet de fortitudinis Danorum gentilium causis.

HENRICI MVHLII. *Gissae. d. 12. Ian. 1689. Est, si tanti fuerit, aliquid lucubrationis, quod Wustius editor maximopere efflagitat. Cui curae nunc totus pene vaco. Doleo impense, tot vitiosa in ipsum opus SANHEDRIN & MACCOTH irrepessisse. Doleo, adeo multa peccasse operas, aut certe negligentiam illius, cui corrigendi partes tradiderant. At habent hoc proprii sibi quasi, & peculiaris fati eiusmodi scripta, ut notas ac mendas non proorsus possint effugere. Ipse Homerus aliquando hic connivet, totusque παρόπτης Argus tandem obdormiscit.*

BRAN-

---

tatem tandem evectum, vel inde licet cognoscere, quod in praecedentibus designatus Superintendens Dioeceseos cuiusdam in Ducatu Cellensi dicatur.